

40210B



xx/x. d. 616.

40210 Rev. Gennach

C A R M I N A

MICHAELIS DADDICHII

RHACUSINI MEDICI DOCTORIS

A D P A C E M.



R H A C U S A

MDCCXIV.  
S U P E R I O R U M P E R M I S S U .

## ELEGIA I.

**A**ima quies hominum, cœli inclyta alumna sereni,  
 Addita sidereis dia puella choris,  
 Lætitiae indivisa comes, felicis olivæ  
 Præportans ramum nuncia, Diva potens,  
 Immemor antiquæ sedis quid lenta moraris?  
 Vel passa audentum quæ malefacta virūm;  
 Ardua te profugam rapuisti nubila supra,  
 Quam diversa locis gens avet unanimis?  
 Nec potis es tandem longos miserata labores  
 Tendere iter terris, o Dea, quâ tu animo  
 Cessisti invito, & rebus succurrere nostris?  
 Ætumnæ finis proh! dolor ecquis erit!  
 Armipotens toto terrarum regnat in orbe,  
 Florentesque urbes, Italiæque plagam,  
 Scrupeæ & Illyriæ littus, feliciaque arva,  
 Magno parva colit quæ studio agricola,  
 Fulmine terrifico belli petit acer in armis  
 Stans Mavors, quassans sanguineamque facem.  
 Pallet ab horrentis conspectu Maris iniquo  
 Aonis, & querulos fundit ab ore modos,  
 Labra nec in summo sitientia vertice Cyrræ  
 Gaudet Hyanteis lavare fluminibus.  
 Carmina qui scribit, secessum atque otia poscit,  
 Armorum longe diffugit & sonitum.

Bis quater apricos pinxit ver floribus agros,  
 Pulcro flore quater bis spoliavit hiems,  
 Nec Mars parcit adhuc miscere incendia belli;  
 Sed magis atque magis dirus ubique furit  
 Passim per campos, & laxis fertur habentis  
 Cum planctu horrifico pone sequente metu.  
**N**usquam erit, ut Jani postes claudantur aheni,  
 Illyriæ populis alaque tu redeas?  
 Desinite irarum; coeant in fœdera dextræ  
 Sceptriferi reges, indomitique viri.  
 Quid quæ corda subit, laudum, famæque cupido?  
 Una quidem virtus, quod mereatur, habet.  
 Vertere uti melius foret arma in aratra recurva,  
 Bubus subjectis & perarare solum,  
 Vernantem pubem quam immiti sternere ferro,  
 Corporaque escam avidis linquere vulturibus!  
 At tu, quam retinet domus omnipotentis Olympi,  
 Commoda quo vitæ nostra abiere, mone.  
 Hostis non instans adverso e vertice montis  
 Tecta, ratesque urens, sævaque bella ciens,  
 Eripuit nobis fructus, & commoda fati  
 Vis fera, Diva tuo quæ negat ore frui.  
 Per multas olim referebat navis amica  
 Divitias nostris advena littoribus.  
 Utile cessat opus, desertaque squallet arena,  
 Et refugit Typhis pandere vela mari.  
 Æquora salsa patent prædonibus obruta late  
 Crebris, ut nemo trahicere ipsa velit.

**C**ur adamantea post tergum compede vincitum  
 Fortia non illum brachia, Diva tenes,  
 Eque viris arces cladeni, miserandaque damna?  
 Hoc, Dea, te precor, hoc obsecro & ex animo.  
 Delituit duro damnatus carcere Mavors,  
 Nec spes ulla fugæ, subsidiique fuit,  
 Clam nisi surriperet vinclis cæsum, atque labantem  
 Ille dolos aptus nectere Mercurius.  
 Sit tibi cura gravi implicitum retinere catena,  
 Ne amplius Europen rapiet in arina ferox.  
 Eja age rumpe moras, niveas & junge columbas  
 Jam curru, ac nobis dona beata refer.  
 Fallor? An intonuit lævum? Magna æthere ab alto  
 Diva sui adventus talia signa dedit.  
 Latus ego eventu Musas deducere omitto,  
 Suspendoque meas parietibus citharas.

## ELEGIA II.

**N**ostra en audisti tandem, Dea, servida vota,  
 Ipsaque tranans, quā purior aura strepit,  
**L**aberis, ah! dudum spretam sedemque revisis,  
 Alma quies hominum, mītis alumna poli,  
 Diva potens, referens ramum frondentis olivæ;  
 Laberis, & miseræ cura subit sobolis  
 Terrigenū pallantum incerto in turbine rerum,  
 Qui te solliciti nocte, dieque vocant.  
 Nunc canere est tempus. Fandi non largior ulla  
 Copia, scribendi nec datur uberior.  
 Plaudite io! Musæ, vestras age promite vires:  
 Dulce hodie comptos fundere versiculos,  
 Mænalias quamquam viæ remeatis ad oras.  
 In rebus magnis & voluisse sat est.  
 Simplicitas vobis dicenda in laude petenda,  
 Quæ simplex constat, laus placet ipsa magis.  
 Artifici nequaquam utendum in carmine laude,  
 Suspecta est laus, quæ simplicitate caret.  
 Magne Vir Aonis in care o, & cœlitibus Dîs,  
 Quisnam te merito laudibus afficiam?  
 Aurea qui properas turbato condere mundo  
 Sæcla, & das populis pacis honore frui.  
 Jam novus in terris rerum undique nascitur ordo,  
 Jam redit alma Ceres spicæ sertæ gerens.

Bello

Bello jam miles quassatus vertit adunca  
 Arma modo in falces, Martis & odit opus.  
 Virgo Astræa redit; redeunt risusque, jocique,  
 Atque expulsa diu gaudia lætitiae.  
 Et pietas patrum redit una, ac regula morum,  
 Et purus sanctæ Religionis amor.  
 Cita lacu e Stygio, manibus post terga revinctis  
 Orbis pestis tēterrīma mordet humum  
 Dira cohors vitiorum, sub sua quæ malecantos  
 Jura trahens effrons nuper, & ibat ovans.  
 At tibi sic Divi pro tanto munere Cæsar  
 Optime, dent annos vivere Nestoreos,  
 Per quem rursus adest miseræ pax alia Rhagusæ,  
 Quæ grave servitium, duraque jussa tulit.

EPI-

EPIGRAMMA.

O quocunque habitas diverso littore, sub quenis  
cunque lates dudum devia sideribus,  
Alma veni Pax, & mortalibus otia fessis  
Præbe, icti pignus fœderis eximium.  
Dia veni, tecumque suos invisas honores  
Blanda Pales, agros frugiferosque colat.  
Abdidit Austriacus vagina Jupiter ensem,  
Miles & ærata casside buxa gerit (a).  
Late initam populi testantur gaudia pacem,  
Jungitur his risus, blandidulique joci.  
Europæ modo tu sis exoptata superstes,  
Fronde o Palladia Pax redimita, veni.

---

(a) Post viðoriam Imperator privilegio permisit mili-  
tibus suis buxo incedere coronatos.

